Cracoviensis Studios Univ. Jagell.

Promotiones Ordinis Theologorum.

1712.

Staszczewski Barthol.

Balicki Joannes

Oslinski Martinus

Brocki Mathias.

Poczya 3026

Plucinski franc. Hieron: Non plus ultra corona theologicae inscriptum.

NON PLUS ULTRA
Coronæ Theologicæ
INSCRIPTUM,

& Dum

Sub Eximia Protectione.

CELSISSIMI PRINCIPIS,

Illustrißimi & Reverendißimi Domini,

D. CASIMIRI
à LVBNA
ŁVBIENSKI,

DEI & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopi Cracoviensis, Ducis Severiæ, Almæ Vniversitatis Cracoviensis Cancellarij Faventissimi.

SVB FELICISSIMIS verò AVSPICIIS

Magnifici, Perillustris & Reverendißimi Domini,

D. M. ANDREÆ KRUPECKI,

I. V. Doctoris & Professoris, Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis Canonici, in Niegardow & Przemykow Curati, Canonizationis B. IOANNIS CANTII Procuratoris, Roszczeviani & Contubernij Philosophorum Provisoris, Studij Generalis Cracoviensis Procancellarij, & RECTORIS Vigilantissimi.

Sacer Theologorum Quaternio

Perillustris & Reverendissimus Dominus,

D. M. BASILIVS PLASZCZEWSKI,

S. Theologiæ Licentiatus, Collega Major, Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis Canonicus, Collegiatæ SS. Omnium Præpositus, Nasiechovicensis Curatus, Contubernij Sisiniani Provisor, Collegij Majoris Senior Pater.

Perillustris, Clarissimus & Admodum Reverendus Dominus,

D. M. IOANNES BALICKI,

S. Th: Licentiatus, Collega Major, Ecclesiarum Collegiatarum S. Floriani Custos, Siradiensis Cancellarius, Præpositus Prossovicensis, Paiecznensis & Pobiednicensis Curatus, Contubernij Staringeliani Provisor.

Perillustris Clarissimus & Admodum Reverendus Dominus,

D. M. MARTINVS OSLINSKI,

S. Theologiæ Licentiatus, Collega Major, Ecclesiæ Collegiatæ S. Annæ Cracoviæ Decanus, Festorum Salvatoris Christi Domini & Beatissimæ Virginis Mariæ in Cathedrali Cracoviensi Concionator, Parochialis in Antiqua Korczyn Curatus, Collegij Vladislaviano-Novoduorsciani & Hierosolymitani Provisor.

Perillustris, Clarissimus & Admodum Reverendus Dominus.

D. M. MATHIAS BROCKI,

S. Theologiæ Licentiatus, Collega Major, Ecclesiarum Collegiatarum S. Floriani Decanus, Scholasticus Cureloviensis, Cancellarius Posnaniensis, Contubernij Gelaniani Provisor.

PER

Perillustrem Clarissimum & Admodum Reverendum Dominum.

D. M. ANDREAM AVGVSTINVM CZYRZYCKOWICZ,

Sacræ Theologiæ Doctorem & Professorem, ejusdem Facultatis Decanum, Ecclesiarum Collegiatarum S. Floriani Præpositum, Neosandecensis Primicerium &c.

Almæ Vniversitatis Cracoviensis Seniorem Patrem,

In Ecclesia Collegiata D. ANNÆ,

Sacrâ Doctoratûs Theologici Laureâ

In frequentissimo Nobilissimorum Hospitum consessu

RITU SOLENNI INSIGNIRETUR,

Clientali penna

M. FRANCISCI HIERONYMI PLUCINSKI,

Phil: Doctoris, in Collegio Novodvorsciano Dialecticæ Professoris, Contubernij Sisiniani Senioris.

Nomine Professorum Collegij Novodvorsciani

ILLUSTRISSIMÆQUE ac NOBILISSIMÆ IUVENTUTIS ACADEMICÆ.

DEMONSTRATUM.

Anno Domini 1712. Die 14. Ianuarij.

Crac: Typis Francisci Cezary, S.R.M. Illustr. & Reverend: D Ep. Crac: Ducis Severiæ, Ord: Typ.

NON PLVS VLTRA
Coronæ Theologicæ
INSCRIPTVM.

Age calame,
oſtende quid ſit Sacra Theologia:
oſtendes quid ſit Doctor Theologus.
Si monſtraveris nil eſſe altius, nil dignius
Sacrà Theologiâ;
monſtrabis nil eſſe altius, nil dignius,
Doctore Theologo.
Securè tunc inſcribes Coronæ Theologicæ,
NON PLVS VLTRA.
Videat Orbis Theologiæ originem.
Pöëſim Orpheum & Amphiona, Medicinã Apollinem & Æſculapium,
Eloquentiam Mercurium & Tullium Authores habuiſſe ferunt.
Sacra Theologia
non fictitium ſed Verum
Deum habet Inventorem,
Mathœſis cum Ptolomæo Cælorum & Syderum curſus inveſtigat.
Phyſica cum Stagyrita de rebus Naturæ diſcurrit.
Geometria cum Archimede terrarum angulos metitur.
Sacra Theologia
Vel Deum ipſum, vel quæ à Deo promanârunt: vel quæ Deum dicunt,
& ad eum ducunt, contemplatur.
Aliæ ſcientiæ infirmis quia humanis ſuas Veritates probant
documentis, ſæpe cum ſuis nocumentis;
S. Theologia firmis quia Divinis innititur Argumentis.
Regina Scientiarum eſt,
cui omnes famulantur.
Majora ediſſere calame.
Regina Orbis totius eſt,

Hæc Ecclesiæ, Regnis, Regibus, Areopagis præest.
Si jura dat, Populis Justinianus, dat ad mentem Theologiæ.
Si Concilia SS. Patrum aliquid conciliant,
conciliant ad mentem Theologiæ.
Si in Synodis, Tribunalibus quidquam constituitur,
constituitur ad mentem Theologiæ.
Contra mentem Divinam agere videretur,
qui contra mentem Sacræ Theologiæ ageret.
Illa Ancile Fidei, illa Conscientiarum lumen & Speculum,
illa Animarum Elixir, illa Orbis Christiani Sol aureus est.
Senescente Mundo & jam fatiscente
lingvæ cessabunt Scientiæ destruentur;
Sacra Theologia,
(*attestante D. Chrysosthomo*) *non abolebitur in Patria,*
sed desinet esse non perfecta.
Contemplare & mirare Geni,
tantam celsitudinem S. Theologiæ.
Contemplare & mirare
tantam celsitudinem & Doctoris Theologi.
Coronæ illius intrepida manu inscribe
NON PLVS VLTRA.
Attigisti hoc Culmen honoris
Perillustris & Reverendissime Domine,
M.BASILI PLASZCZEWSKI
In hac Corona Theologica,
Cor unà Minervæ recepisti.
Ad tantum literati honoris fastigium,
non nefastus fastus, sed Virtus Sapiens,
& Sapientia Virtuosa te extulit.
Quid namq; BASILIVS?
8 2 5 34 7 1 6
Nisi Sapientiæ SAL SI VBI?
Gracia Pallas,

Phæ-

Phæbea bina lauru cinxit te Phæbum,
ut pote magnum Scientiarum Amatorem & Armatorem.
Novoduorſcianæ Claſſes, non ſensêre infortunij caſſes
Te erudito Palinuro donatæ & dotatæ.
Arena illa literaria, aureum tunc proventum fundebat,
cùm tu in ea aureum Doctrinæ fundebas Pactolum.
Collegium Virtutum Scientiarumq;
Collegijs inſertus es.
Minori primò mox Majori,
Minus quippe diu non potuit pati, meritis maximum.
Ivisti in altum quorumvis honorum,
Illis nobiliſſimis & glorioſiſſimis Anteſignanis
KVCHARSCIIS, MAKOVIIS, WOIEWODZCIIS,
Sacræ Theologiæ Doctoribus & Profeſſoribus.
Maximi hi Animorum æſtimatores,
Non tam Te, quàm tuas Virtutes æſtimârunt, adamârunt:
Inops ſermo tuus nunquam videbatur,
quot verbis tot Erythreis Vnionibus dives.
Iſocrates, Hortenſius revixiſſe credebantur,
Te utriuſq; imaginem in utraq; Exedra referente.
Non ſic Alcidam animoſum, ſepticeps Hydra,
Vt tuum doctum Caput, Gorgonea difficultatum metuebant capita.
Nempe ea audacter metebas.
Gordij perplexitatum Philoſophicarum nodi,
facilè enodabantur,
Te purpurato Macedone
eos in Stoa Peripatetica ſecante & necante.
Nec mirum
quod illi Lechici Achilles, Te ſuum voluerint habere Chironem.
Illuſtres & Magnifici Domini,
I A C O B U S
de Raciborsko,
M O R S Z T Y N,
Capitaneus Kowalienſis.

 &

&
STANISLAVS DERSZNIAK
Capitaneus Radoſzycenſis.
Magna hæc Orbis Poloni lumina & columina,
in te fontem omnis eruditionis & ſapientiæ viderunt, & petierunt
Philoſophica Cathedrâ vix ceſſiſti,
ad Theologicam proceſſiſti!
Arca Scientiarum, ad arcana DEI ivisti.
Moralem Theologiam legens, morum Scientia legebaris.
De Sacramentis Novæ legis tractans,
& publicè diſputans,
quid eras? niſi Virtutum nova lex.
His laborum, Virtutis & Sapientiæ gradibus
ad Laurum Theologicam properaſti.
Sub hac majus mereri potes,
ſed illâ majus prenſare præmium non potes.
Quidquid meritorum ſub Theologica fronde acquires,
ea non Orbis Academicus, ſed Orbes Cælorum ſtellati
ſunt coronaturi.
In hoc honoris Apogœo Tibi poſito,
maximum eſt decus, maxima Corona.
Frater tuus Vterinus.
Perilluſtris & Reverendiſsimus Dominus,
THOMAS CONSTANTINVS CZVLSKI,
I. V. Doctor, Eccleſiæ Cathedralis Chełmenſis Archidiaconus & Officialis Generalis,
Præpoſitus in Pełczyska, &c. &c.
Oculus hic Diœceſis Chełmenſis, Virtutũ & Sapientiæ Canon,
quantùm meriti & honoris in Domo Dei habet,
tantùm in Te derivatur.
Non communis hæc eſt ſors Veſtra
quòd tu Caſtor cum Polluce
gemina non Ledæ, ſed unius Matris ſydera,
ita in Principibus Cathedris honore fulgeatis.
Tu trium Coronarum Perauguſti Vavelli Vnio es.
Ille Coronæ Sacri Chełmenſis Senatus pretioſus eſt Adamas.

Evola

Evola penna si potes sine pœna
in præconium, loco non meritis secundi
Perillustris Clarissimi & Admodùm Reverendi Domini,

M. JOANNIS BALICKI,

Sacræ Theologiæ Doctoris & Professoris.

Tres Gratias Paphiæ Deæ ingeniosa adstruxit Mithyologia,
in hoc Viro sine numero numerari Charites,
extra Vatum eruditorum commentum est.
Cui non carus es IOANNES?
2 3 4 1 5 6 7
qui cunctis Ó AN INES!
Invictus Alcides Iunonium lac hauriendo,
omnes hausit gratias;
Hic IOANNES
à Minerva Cracia literis lactatus, Doctorũ Corymbis ornatus;
cui non gratiosus?
Invidebant sibi hunc Apollinem & ipsæ Musæ.
Posnanienses Novodvorscianis eum eripuere.
Novit Posna, quem non vitavit, sed ad se invitavit.
Nam in Ioanne Maronem, Tullium, Stagyritam,
Aquinatem cognovit.
In Classibus per omnes Scholas navigans,
hic aureo Scientiarum Vellere ditissimus Iason,
tandem sub Lubranscianam Pinum
cum Heroica scientifici animi sui Argo appulit.
Fatidica tunc erat Lubransciana Dodona
in qua de tuo ore
Vir eruditissime
Philosophica Oracula resonabant.
In Lathynio Cariæ monte, celebris sua Endimion mente,
dulcia à Cynthia meruit oscula,
Te Phæbum Phæbe Wodzicciorum
suis Arcadibus Præceptorem adscivit, dilexitq;.
Fons es limpidissimus

Gange vel Pactolo potior;
Nam Pæstanas quoq; SZEMBECIORVM Rosas
dulcissimo eruditionis tuæ latice irrigasti.

Illustrißimus & Excellentißimus Dominus,

JOANNES
à Słupow
SZEMBEK,

Supremus Regni Cancellarius.
Łomzynensis, Grudzynensis &c. Capitaneus.
Aurea labentis Patriæ basis,
Vt sciret hoc turbido rerum nostrarum statu,
Regnum Lechicum implicitis enodare
Arcana Philosophica petijt sibi & publicè & privatim à te enodari.
Nempe in IOANNE
sive moris, sive oris petieris elegantiam,
ex utroq; Cæsar est.
Orpheus dulci testudine Vnam Euridicen tantùm
ab inferis abduxit;
hic o quot animas? svavi sacri sermonis Cytharâ
ab avaris & amaris Erebi faucibus avocavit.
In publica Disputantium Arena felicem Victoriam
& victam ducis felicitatem

JOANNES.

Nam ubiq; tibi triumphale Io! an nes?
Quæ alijs abscondita, tibi sunt semper manifesta;
Adeò Lyncea mente difficillima quæq; penetras.
Cedere coguntur quævis obscuritatum nubes,
doctissimi Tui animi jubare accedente.
Hoc tu cæcas errorum noctes fugas & repellis,
Si Aquinas, & Aristoteles, tales multos haberent interpretes,
non tot eruditæ in eorum Lycæis rixæ versarentur.

Huc

Huc huc adeſte Parnaſſides,
Veſtri Heliconis Corona laudum floribus eſt innectenda,
Liberaliùs hodie de Caſtalijs providete fontibus,
MARTINVS Proviſor Veſter eſt celebrandus.
Doctas pulſate Cytharas Cythæride,
Apollo Veſter Theologico cingitur diademate.
Perilluſtris, Clariſſimus & Admodùm Reverendus Dominus,
M. MARTINUS
OSLINSKI,
Vir hic aureus educari debuit in Kęnty,
Nihil enim pretioſum ſub oculis ſua cunabula ponit.
Metire calame ſi potes,
Poloniæ felicem amplitudinem, & amplam felicitatem,
vel ex hoc angulo,
qui Cælis Sanctos, terris eruditos Viros
necdum deſinit educare & in publicum educere.
Commune aliquid habes cum Sanctis
Neo-Doctor Digniſſime,
quia cõmunem habes cum eis educationis locum.
Diviſum Tibi eſt cum Cantio munus,
Illius eſt pro Academia orare, Tuum Academiam ornare.
Præſulis & Militis nomine gaudes,
Vt Te MARTINVM Marti num? arti num?
ſufficere poſſe demonſtres.
Tibi debet Polonus Gradivus.
Illi in Gymnaſio Tucholienſi,
in Archilycæo Novoduorſciano, in Athæneo Lubranſciano,
bellaces animas & animoſos bellatores, quos nunc colit,
tu excoluiſti.
Ducales Clavas qui nunc regunt, à Te regebantur.
Qui nunc alijs præſunt, Tibi ſe quondam ſubmiſêre.
Tibi potiori Argonautæ

Illustrissimus & Excellentissimus Dominus,

S T A N I S L A V S

K R Z Y C K I,

Castellanus Posnaniensis,

Gentilitiam anchoram,

Progeniem (*unquam*) regendam commisit;

Felix tu Stagyrita his Polonis Macedonibus,

Feliciores hi Poloni Macedones te suo Stagyrita.

Non tam bene Pyrrhi gemmæ inhæsere Musæ,

Vt tuo gemmeo animo Scientiæ,

Philosophia

in Te Divinum Platonem

vel Principem Sophorum Aristotelem invenit.

Ita illius arcana tenerioribus animis adaperire scivisti.

Artisticæ Facultatis

ter Decanus,

quoties & publicè & privatim disputasti,

toties eximiarum laudum decades meruisti.

Angelici Doctoris Subtilisq; Scoti,

Angelicũ & Subtilem Spiritũ habuisse videbaris,

cùm ad mentem eorum, in Sacris Divorum Pænatib⁹ disputasti.

Nunquam ex Arena literaria sine triumpho,

Nunquam sine gloriæ, Corona descendebas,

quia nunquam sine celebri Victoria.

Regina animorum Eloquentia

in Te Atticâ dulcior apparet Hyblâ,

Alienæ laudes, docto tuo calamô exaratæ,

Tuæ hæreditariæ sunt.

Tylicianus Orator,

cùm alienæ desudabas gloriæ, ipse laudum encomia merebaris.

Aureæ celsi Vavelli Coronæ,

aureo Tuo dignæ fuerunt Capite,

& Caput Tuum dignum tantis Coronis.

Quid

Quid enim aliud de docto Tuo ore promis? ſi non aurum.
Quoties in Principe Cracovienſi Baſilica,
coram ipſis Principibus ſacra verba fundis,
toties Caucaſea corda ſvaviter tundis,
Magnus Encomiaſtes.
Timete nunc Enceladi Typhæiq;,
rebelles etſi imbelles Orthodoxis Heterodoxi.
MARTINVS hic Feretrius eſt,
ſive à ferendo, ſive à feriendo dicendus,
fulmineis Vos rationibus petet.
Controverſiarum Fundationis SOWINSCIANÆ
Fundatus Profeſſor eſt,
Omnem contra Vos uertit uertetq; lapidem.
Doctrina illius ſolida, Armamentarium eſt,
contra Gigantomachiam Veſtram inſtructum.
Hìc ſunt adversùs Veſtrarum rationum telam,
Achilleis armis præſtantiora tela:
Hìc ſunt adversùs minacia Veſtrûm jacula,
Scuta Ancili Apollineo certiora.
Quot ſunt Controverſiſticæ Doctrinæ MARTINI Articuli,
tot ſunt Delphico Tripode certiora Oracula;
Quot Concluſiones,
tot Hæreticorum Schiſmaticorumq; Confuſiones.
De his victor hic glorioſus
vel ſub Theologica nunc triumphabit Laurea.

Tu tandem obſequentis pennæ meta immota es.
Virorum politiorum & Sapientûm Corculum,
Perilluſtris, Clariſsime & Admodum Reverende Domine,
M. MATHIA BROCKI,
Sacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor,
Claudis doctum Doctorum fortiſſimus agmen.
Quippe Pallas æque Martis ac Artis Præſes,
ſuas cohortes infractis pectoribus munit.

In postremo loco nil postremum locat.
Ad portas excubias gerunt invicti Annibales,
Non magis in fronte, quàm à tergo exercitûs
opportuni sunt mares animi.
MATHIAS hic ô Pallas,
Virtute, sapientiâ, meritis, morum elegantiâ præditus,
quid est? nisi ITA MAS.
In hoc Viro
nihil pusillanime, omne magnanimum est;
Roxolani Leonis partus est.
Non sub omni Cælo Solones, in plurimis locis Stolones oriũtur.
Creta quid aliud? præter Cretenses didicit germinare.
Athenæ nil citiùs ferunt,
quàm Socrates vel Xenophontes.
Cui Leopolis sua cunabula dedit,
hic LEO est POLIS dignus.
Hoc felix solum Solem
Cælo Academico, imò toti Orbi Polono dedit,
Clarissimum olim & Excellentissimum Dominum,
M. STANISLAVM IOSEPHVM
BIEZANOWSKI,
Philosophiæ Doctorem, Collegij Minoris
Seniorem Patrem &c.
Titan hic Academicus
etiam Tibi Syderi primæ magnitudinis,
Neo-Doctor Dignissime,
Aureũm Sapientiæ infudit jubar.
Felix ille acceptus ab eo radius, cui non esset acceptus?
Hoc famam, Virtutes, merita, Serenissimorum Regum, Antistitum,
Magnorum Heroum, Summorum Virorum irradiasti.
Evolare illi è rogo cinerum suorum,
tanquam Phænices videntur,
quibus tuam eruditam pennam applicuisti.

Aqui-

Aquinas verè pretiosus est,
quem Vnionem Ecclesiæ Dei, docto calamò & ore efformâsti.
Ex Homeri fonte,
Vates Antiqui Entheum hausisse Poëticum dicuntur;
Tu ex illo fonte libasse debueras,
quem ut Homerum nil latet.
Fortunatum Navigium,
Classes Novodvorscianæ sortitæ erant;
cùm tu remis illarum adstitisti.
Amphiona non exposcimus,
cùm Te Verbi Divini concentu & Divino conceptu,
Saxeos Memnones animantem videmus.
Dicentem, Te & ducentem ad verum Numen,
Venerantur Virtutes, reverentur vitia,
quia falsa sunt Numina;
quorum idola sermone tuo sacro evertis.
Fonti lucis, quis potest lucem addere?
Tu eam addis, à sole Aquinatico obscuritatis nubē adimendo.
Omnia ad mentem Orbis scribere, diciereq; videris,
cùm ad mentem Thomæ scribis dicisq;.
Thetyn amat Phæbus,
Thomisticus Titan tui animi fundum, verè profundum.
Non ita Speculum vicina, ut tu remotissima,
nam Divina repræsentabas,
Speculativam legens Theologiam.
Felix Tua Doctrina Moralis,
in qua nec erat mora, nec lis,
ita utrumq; explodebas.
De Sacramentis sacræ tuæ menti agenti,
nil erat Sacramentum, quia nil absconditum.
Adeò abscondita penetrâsti.
MATHIAS verè sors DEI
in quem tot Cælorum Deorumq; dona confluxêre.

Indefessi Athletæ,
vel potus literarij Orbis Athlantes.
Perillustres Clarissimi & Admodum Reverendi Domini,
Neo-Doctores.
Illud Honoris Theologici capessitis culmen,
cui NON PLVS VLTRA inscribere fas esto.
Habent Magni tituli, hoc,
cum ad summum dignitatum veniunt fastigium,
habent summum procedendi Ulterius fastidium.
Athenæ Craciæ
quos honores possident,
ij infra dignitatem Theosophiæ non supra sunt.
Meritis Vestris Apollineâ præstantior
Vobis hodie datur Corona.
Sub hac Theologica Mitra,
Suprema Sedis Vaticanæ Capita,
Eminentissimi Cardinales,
doctissimi Præsules, pientissimi Mystæ,
& floruere & florent.
Majora dic Calame.
Hoc in præmium laborum Vestrorum Diadema recipitis,
quo redimiti,
Magni BASILII, AVGVSTINI, HIERONYMI,
AQVINATES, BONAVENTVRÆ,
nunc eodem in felici æternitate & æterna felicitate gaudent.
Doctorales hæ frondes
quæ eruditas Vestras nunc ambiunt frontes,
felicia felicitatis Academicæ sunt omina.
Annosa hæc Regia Solis
Stabit fortunata, quasi in natis Doctoribus iterum nata.
Stabit incolumis, per Vos novis suffulta Columnis.
Quaternio Vester Doctoralis
Civitatis Dei in Quadro positæ typus est;
Rei-

Reipublicæ literariæ
Beatitudo insignis speranda est.
Annus ter quaternus post septingentesimum
numeratur,
dum Vos inter Doctores Theologos numeramini,
& exinde Quaternioni Vestro felicitas perfecta,
quia quadrata promittenda.
Hilaritas nova Cracio Academo porrigitur,
Dum Festo Hilarij Vos Doctores
Theologi creamini.
Generali Regni Lechici Scholæ,
invida sors nullum mali genus afferre audebit;
in Quadro Vestro posita,
nulli malorum cedet procellæ.
Quadrangularis Figura undiq; pares lineas habens,
in Vobis hodie est erecta;
quid Palladi Iagellonicæ?
nisi ab omni angulo & decus & præsidium pollicetur.
Feliciores priscis Augustis Iulijsq; Coronati,
sub Lauru Theologica,
nullum adversæ sortis fulmen metuentes,
triumphate.
Fastigio literati hujus Vestri honoris,
Herculeũ tenuis pẽna inscripsit NON PLUS ULTRA;
Annis, Vitæ Vestræ felicissimisq; Successibus
semper Vovet Vovebitq;
PLUS ULTRA.

O D E
MAGNO NOMINI
&
HONORI DOCTORUM
V O T I V A,
à Musis Novodvorscianis
D E C A N T A T A.

QUæ cura nostræ Palladis inclytæ?
Quis Sensus Almæ Matris, & Ordinum,
Plenis honorum Laureatas,
Muneribus celebrare mentes
Intendat? ut per maxima dignior,
Quandoq; fiat Secla Quaternio,
Qui laude Doctorum Virorum,
Qui titulo potiore Vestras
Excellat omnes ingeniosiùs,
Dotes Minervæ, quæ super æthera
Summi Tonantis mente nata,
Vos vehit in Capitolium altum
Præcelsi honoris, tum quoq; Nominis.
Apollo noster Vos comitabitur,
Ter trina Musarum cohorsq;
Laureolas referens utrinq;.
Princeps præibit flammigero Entheo
PLUS ULTRA major Gadibus Herculis,
Flagrans & ardescens columna,
Nomine sub Basilij præalto.
PLUS ULTRA Summi culmen ad ætheris
Regina Princeps, signa ferentium,
JOANNIS altum Nomen effert,
Alta petens Aquila evolando.

MARTINUS, ex quo Milite Præſul eſt,
Doctor Mitratus Sanctior Hercules,
Lauris & armis, pallioq́
Tectus, in ardua laudis intrat.
Sors antecedit faſcibus Aſciam
Portando fixam, nomine Romuli
Gaudere MATHIAM volendo:
Taliter itur ad altum honoris;
Doctor, ſed AUGUSTINUS ad aureas
Honoris ædes, his aperit viam,
Quos ipſa virtus, ipſa Pallas
Suſcipit in gremium Sacrorum
Doctorum. Et hinc jam plaudite Principes,
Portamq́ veſtram attollite promptiùs;
Doctæ Camænarum cohortes
Carmine vota ſonora ferte.
Vivant, ut illi ſæcula Neſtoris,
Quos ipſa virtus tollit ad æthera,
Et candido ſoles coruſcos,
Atq́ dies numerent lapillo.

PROGRAMMA I.
Primi Doctoris honori ſerviens.
BASILIVS PLASZCZEVIVS.
ANAGRAMMA.
Zelas pius, ibis dux, laus.
EPIGRAMMA.

Fama volãsCracij cõſpexit in umbra Academi,
Fundi PLASZCZEVII lumina docta Viri,
Cæleſtiq; calentia cingi tempora lauru,
Luceq; Doctorem præradiare Sacrâ.
Conſtitit & ſtupuit; tum gaudens talia dixit:
Dux primus *zelas, ibis* in alta *pius.*
Laus Tua ſemper erit Doctor, Nomẽq; perẽne,
Aurô quod ſcribam, tumq; notabo Cedrô.

II.

IOANNES BALICIVS,

Ajo: vincas libens.

Iuppiter omnipotens, altâ de Sede Polorum
Cernens, IOANNI Laurea serta dari:
Gaudeo, Doctorem Herculeos vicisse labores,
Dixit: & ut *vincas* invida fata diu,
Ajo Libens. videant! Sapientia Sola triũphat!
Et dignum Cælis inferat illa virum.

III.

MARTINVS OSLINSCIVS,

Lux, Animos instruis.

Pandunt nunc Helicona Deæ, tum flectit Olympum,
OSLINSKI, in plausum, doctus Apollo Tibi.
Lux es Musarum, Craciæ Princepsq; Palæstræ,
T u lustrans *animos, instruis* atq; colis.
Luceat ergo Tibi Phæbus, per sæcula mille,
Provisor noster, turba novena vovet.

IV.

MATHIAS BROCCIVS,

Huc ramos citabis.

Huc ramos, oleas, laurus, Parnasse virentes,
Aonidumq; choros, vertice mitte tuo.
Conveniant Charites, invitas Phæbe *citabis*,
MATHIÆ cingant tempora fronde sacrâ.
Ingeminent plausus; venerande Quaternio, vivas!
Doctorum, vastus Vistula adusq; fluet.